stophoro Threcio viro optimo et amantissimo veritatis, quaedam scripsi ad unum ex Dynastis Polonicis, cujus mihi nomen in mentem nunc non venit, sed ex Threcio cognosci poterit, et illius epistolae meae exemplum his meis adjunxi. Atque coram Deo et hominibus contestor in hoc capite, quo omnis spes salutis nostrae fundatur, catholicam et orthodoxam sententiam Athanasiano etiam symbolo comprehensam me sequi, tenereque et tota mente amplecti. Et si quid est a me dictum scriptumve, quod contrariam suspicionem commovere possit, id revocando ex animo condemno tanquam falsum et culpanda oscitantia ita positum. Tuamque Magnif: oro, ne patiaris in hac mea senectute vitam declinantem indies propius ad finem isto crimine tam atroci atque capitali gravari vel propria vel aliena suspicione, et meam hac in parte apud te et alios innocentiam defendas. Neque mihi istis rumoribus quidquam unquam tristius accidit, quos ego refutabo, ubicunque et quandocunque opus fuerit publice et privatim. Quae si Tuae Magnif. scripta vehementius videbuntur, ex eo ipso conjecturam capere haec poterit, quantopere perturbetur animus meus talibus commentis. T. Magnif. bene valere et in veritate constanter permanere opto. Vale Lips. die V. mensis 7bris 1571.

Doct: Sebastiano Winshemio Witebergae 180)

Pax Christi:

Joachimus Scharer civis in primis honestus, addo etiam locuples, et liberalis, filium suum Arnoldum olim meae institutioni nonnihil adjutum clarissimo Doctori Sebastiano Theodorico Winshemio familiariter voluit commendari. Quod cum nuper literas et etiam multis rebus distractus, ut nobis qui scholae vitam agentibus aliud ex aliis negotia oriuntur: Tamen et patris ipsius ea est probitas, et Arnoldi adolescentis ea modestia, ut hoc officii, quod suo quodam jure uterque requirebat, diffugere non possim. Quod quod, si quid omnino vacui temporis nactus, ad scribendum tam fido amico, cujus mihi recordatio perdulcis est, mea sponte

[= Merv. a. 4: N. 206]

ipse

ipse sponte impellor? Nec verò multis opus est
verbis in ejus commendatione, quem audio jam
in contubernium vestrum ultrò receptum esse.
Quod ego factum ut discipulo meo gratulor, (magni
enim refert, quem virum sibi juvenes in Academiis
deligant, cujus consilio et auctoritate nitantur, ita tu,
bene recepisti, tam sincerum esse hunc patrem, tamque fide
bonâ, ut te hujus facti poenitere non possit. Tum autem
adolescens ipse, tam quieti ingenii est, tamque tractabilis,
ut cum intellexissem eum Henrico nostro Hon. Kai adjun-
ctum esse, valdè exhilaratus, exclamarem: ὡς αἰεὶ τὸν
ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον. Age igitur vir humanissi-
me, perge tuâ benevolentia complecti et fovere istos
parvae scholae nostrae non aspernandos alumnos, prae se-
tim aliquid et ingenium vides inesse studii,
quo neque te dignius neque mihi gratius facere quidquam
potes. Misit M. Caspar Conerdingus vestram disputa-
tionem Grammaticam, cujus me lectio non mediocriter
refecit. Recreat enim me exulis animum, cum videam
hac tempestate passim emergentibus novis subinde
Latrotoribus profanis, qui mente corrupti sunt,
et reprobi circa fidem, Christum Ecclesiae et veri-
tatis suae vindicem, semper aliquos excellentes qua-
si Heroas Christianae gentis, opponere, qui μαται-
ολόγους illos φρεναπάτας tam erudite valeant ἐπι-
στομίζειν (ut Apostolus loquitur) καὶ ἀποδόξους ἐλέγχειν,
sane jugulastis neminem: Sed extra quaedam est Fla-
cianorum Sorbona. Si esset otium, scriberem ea de re
prolixius, et agerem gratias Conerdingo pro munere,
sed neque nunc agendis mihi superesse rebus. Eum
orabis mei veteris amici nomine, ut hanc officii in-
termissionem, nunc remittat aliud officiosius scriptu-
ro. Vale feliciter Doctor clarissime, et adolescentes
nostros subinde extimula ad discendum, ut ha-
beat tandem et Brema puriores doctrinae quosdam

assertores, qui patriam suam ab obtrectatione et
calumnia tueantur, 12. calend. Augusti Bremae. Bene
consalute in Christo. Doct. Casparo Crucigero & M. Co-
verdingo et tuae carissimae conjugi et nostris adole-
scentibus, quae tua est domestica ecclesia, cui Deus mul-
tiplicet benedictionem. Amen. 1571.

Johannes Molanus.

Henrico Hamken Witebergae. 181.

Pax Christi.

Volebam tecum prolixius suavissime adolescens: sed mihi scho- [= Hocr. a. 7: Nr. 207]
la succum subduxit, ut nisi subinde oleum instilles, sensim
lumen exstinguat: sic meum ingenium per se exiguum,
quia non suppetit otium eruditioni alendae, quam olim
juvenis inchoaveram, sterile paulatim et effoetum
redditur, neque par esse potest tot rebus conficiendis, quot
schola, quot amici, quot familia suo sibi jure videntur
vindicare. Atqui parva quaedam animi virtus adhuc
virida est, vigetque, si quando Spartam suam exornans,
non ultra vires oneretur. Ego vero his annis octo,
quibus hoc Hectoris saxum Bremae volvo, plerumque dixi,
tum fui domi et publice, sine ulla liberali respiratione.
Sic flagitiosam rem esse scholarum neglectionem, itaque
consumi malim et contabescere, quam laudem trahere,
et rebus necessariis deesse. Laudanda est Dei patris no-
stri bonitas, quae nobis non malum scholae, et non poeni-
tendum statum hactenus concessit, ejusque invocatione no-
minis freti, multa superavi obstacula, multas in-
jurias solicitudine [illegible] sum, et adolescentum studia me-
diocriter juvi. Multa postea me passus sum, dum luctor
cum malis scholasticorum moribus, quae res (ut recte
putas) revulsit quosdam a nobis ante maturitatem;
sed ego in hoc nunc sum quoque, ut non recusem admittere
pauciores, modo meliores. Atqui (heu miseria) hujus
temporis barbariem, ac protervitiam ne ferrei quidem
muri arcere possunt. Proinde non tam de externis
scholae periculis anxie semper cogito, quam de vitiis
intestinis, quae, cum semel insederint, sanari non queunt.